

Franckesche Stiftungen zu Halle

Ad Solemnem Introductiorem Virorum & Collegarum Salderianae Scholae Clarissimorum Doctissimorumque, Christ. Sixti Balhornii, Bernardi Kvhnsii, Vict. ...

Carsted, Johann Caspar

Brandenburgici, [1717?]

VD18 13419390

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-201418



§. 1.



Explicare vitam quinti ab instaurata
Euangelii luce Praefulis sacrorum in hac veteri Bran-
denburgensium vrbe, M. BENIAMINI BONERI
eamque vel ab interitu vindicare vel reuocare in prae-
sentem hominum memoriam nuper adgressus sum,
hoc quidem proposito, vt in posterum reliquorum
etiam ex latebris & aliorum parietibus in lucem adspectumque pro-
ferrem.

Atque istud quidem ita perfeci, vt multa desiderarem, quae ob-
liuione deleta, nec litterarum monumentis consignata nesciri plane,
saltem difficile inuestigari posse videbantur.

Sed magnam mihi postea lucem in hisce tenebris & ignoratione
versanti feneratus est Clarissimus & Doctissimus Vir, MARTINVS
DITERICH, illustris Gymnasii Berolinensis Subrektor longe meri-
tissimus, qui ex iis, quae operose conquisiuit & publico, vt speramus,
vui propediem commodabit, rerum marchicarum monumentis sum-
ma ductus humanitate multa perscripsit, quae descriptam Boneri vitam
reddere pleniorē possunt.

Hacc ego, sicuti ex voto mihi obtigerunt, ita praesenti occasione
data, veluti *Supplementum* addere volui, non dubitans, quin hoc ipso
me iis probem, quibus proxima recensio ingrata penitus non fuit.

X 32

§. 2. Sol.

§. 2.

Sollicitus eram, quum eius curriculum compilare atque in vnum condere suscepi, & scire percipiebam, vbi terrarum antea & quo in munere publico fuisset Praesul noster, quam hunc adiisset locum; id quod coniectura quadam & temporum circumstantias inter se conferens facile adsequebar: nec inuenire tamen illud poteram qualitercumque indagando. Nunc autem edoctus & certior factus noui, Spandouenses ipsum lyceo praefecisse suo: ex quo multis elogiis commendatus a Superintendenti Generali, quem vocamus, & Francofurtensis Academiae Professoribus Serenissimo Principi, Ioanni Georgio, tertius Gymnasii Berolinensis recens constituti (a) Rector publice renunciatus est Anno 1577. pestilentia, quae illis temporibus inciderat, paulatim defauiente, postquam Antecessor Michael Kilian propter mores suos amandatus erat. (b)

§. 3.

Eodem hoc anno, quo introductus est, & quidem die 22. Iulii, mandato aulico Pastores, Diaconi & Scholarum Collegae Berolini conuenerunt, vt *Formulae Concordiae* nomina sua darent: (c) cui proinde etiam Bonerus, & Conrector Prunnerus (qui defuncto Bonero hic in munere successit) pariter subscripserunt.

§. 4.

Quemadmodum vero profunda & rara eruditione praeditus fuit, quod vel orationes eius Scholae nostrae inaugurales, quas in MSto habemus, aperte docent, ne alios testes nunc producam: ita fidelitatem eius & sollicitiam, quae maxime conuenit scholarum magistro, alios post ipsum exempli loco propositam exprimere & intueri voluit Patriae Pater. In promptu adhuc est Rescriptum, vti stilo forensi & cu-

(a) Ao. sc. 1574.

(b) Refert haec Clarissimus VVeberus in Recordatione saeculari Gymnasii Berolin.

(c) Vid. Angel. Märckische Chronik m. h. a.

curiae dicitur, siue epistola quaedam mandatoria ad Senatum Berolinensem anni 1586., qua quidem ipsi iniungitur, ut Rectorem ceterosque Collegas diligentes esse iubeat, & eas lectiones, quas in Catalogo quodam Bonerus complexus fuisset, iisdem horis & temporibus eademque fidelitate, qua ille quondam cum Collegis suis, tractarent, ipsam denique scholam ex consuetudine illorum moderarentur. Ecce publicum & locupletissimum vigilantiae curaeque Bonerianae testimonium!

§. 5.

Prinus, quam Brandenburgum venit, Stendaliae, Metropoli veteris Marchiae a sacris fuit, quippe quo vocatus concessit Ao. 1681. non ultra quatuor annos ibidem commoratus, quum Ao. 85. suum iam fecerint Brandenburgenses. His audientibus Ao. 1597. atque sic proximo ante obitum anno concionem habuit Domin. l. p. Epiph. sub titulo: *Christlicher Eltern und Eheleute Ordens, Regul und wolgezogener Kinder Gehorsam und Ammts Pflicht*: quae in aliorum usum paullo amplificata prelo submissa & dedicata est Consulis Theodorici filio, Ioanni Theodorici id temporis Sponso, simul atque Sponsae illius Elisabethae Gunsten / Praetoris Taugraemundensis (*Ammts. Rostners*) filiae, quibus hac occasione pariter, tamquam adfinitate sibi iunctis, (sed unde, nescio) fausta omnia precatur. Prostat haec concilio Xl. plagulis 4to.

§. 6.

Filius Boneri natū maximus, Beniaminus, cuius in nūpero programmate mentionem feci, etiam Magistri honores & lauream poeticam consequutus est atque HOHENFINI Sacerdos exstitit, ubi Vir maxime Reuerendus, multis profecto spiritus & naturae donis instructus, (non tantum ex auditu scribo) LYSIVS, qui non adeo dudum in communem omnium tristitiam Berolini extinctus est (si corporis exuias ad tempus deponere & secundum animam ad beatorum sedes euolare ibidemque aeternum viuere, exstingui dicere licet) religionis & sacrorum rituum curam olim habuit. Sed quo me pietas & amor in illum deducere vult? Superest de poetici Boneri laboribus

ribus quoque *Sirena anagrammatica*, quam in nuptias Benedicti Helwigii, Pastoris Tramestani, composuit.

§. 7.

Quale iudicium doctrinae suae sustinuerit; paucis in superiore programme attigi. Neque tamen persuaderi potui, ut haec vero conuenire putarem; sed liuorem potius & maleuolentiam, certe errorem famae huius causam fuisse suspicatus sum. Nunc vero tantum non omnem scrupulum exemit Clarissimus Dietericus. Nam ex eius observationibus constat, Bonerum (quod supra iam memorauimus) Formulam Concordiae manu atque nomine suo probasse. Deinde historia temporum non obscure docet, magnam cautionem in constituendis Ecclesiarum & Scholarum doctoribus, praesertim tam illustri & oculato quasi loco, adhibitam, nec quemquam facile, nisi exploratum & probe cognitum in publica munera immisissum fuisse. Accedit, quod Antecessor eius, Kilianus, (supra iam occurrit) praeter alias rationes quoque huius erroris conuictus abdicare se prouincia sua cogeretur; ex quo nemo tam iniquus aestimator fuerit, qui credat, alium mox, eiusdem culpa, propter quam prior depulsus erat, participem Ephoros scholae suae imposuisse. Denique Academia Francofurtensis, quae integrum Orthodoxiae nomen adhuc possidebat, multa laude & commendatione cum ornauit, quam fide & doctrina suspecto non dedisset. Quid multis? Sedatus fuit, pacificus, non praeceps Theologus: nam pacificum Virum M. Io. Islebius, Consul Berolinensis, ipsum iam vocat in oratione sua germanica, quae typis excusa ad posteritatem peruenit, quando M. VVilhelmum Hildenium, successorem Boneri injecit.

§. 8.

Tantum de *Supplemento* ad vitam Boneri, quod non mihi, sed memorato ante Cl. Viro soli vindico, praeterquam hinc inde meis verbis auctum & illustratum, meoque conformatum stilo. Huic proinde pro beniuolentia sua & humanitate gratias nunc etiam publice ago, meque officiis eius, ut par est, rursus obstringo.

§. 9. Sed

§. 9.

Sed nunc ad illud, propter quod maxime susceptus hic labor est: nam PRVNNERI vitam simul effingere (quod in animum tamen meum induxeram) angustia temporis & labores catenati vetant. Anus iam est & quod excurrit, quum Clarissimus Vir atque Doctissimus CHRISTIANVS WEBERVS maturo fato scholae eriperetur, nondum per integrum annum Conrectoris munere, ad quod ab infimo loco dignus adscenderat, optime profecto functus. Ex hoc difficili tempore nihil non operae dedimus, ne illa orbitas scholae nostrae magnum adferret detrimentum, humeros nostros ferendo oneri supponentes, atque eius labores inter nos, ut ut quodam valetudinis & pensorum incommodo, distribuentes.

§. 10.

Factum nunc est Diuino consilio & Patronorum nostrorum cura, ut hanc Collegii nostri lacunam breui expletam denuo videre possimus. Neque enim solum Clarissimos Doctissimosque Viros, CHRISTIANVM SIXTVM BALHORNIVM & BERNHARDVM KVHNSIVM nouis honoribus auxerunt, atque illi adhuc Subrectori fidelissimo Conrectoris, huic Cantori peritissimo Subrectoris munia benigne contulerunt; sed in posterioris etiam locum Virum Clarissimum Doctissimumque, VICTOREM ERNESTVM SPRENGELIVM, Paedagogii Regii, quod Glauchae propter Halam est, Collegam adhuc ordinarium, ut succederet, vocarunt. Qui quidem crastina luce hora post meridiem 2da recepto more a me sunt introducendi: ubi ego de *Educatione liberali*, sed non indulgente dicam; Candidati vero nostri ordine ita sermones facient, ut nouus Conrector de *litterarum humaniorum in Germania fati generatim* agat, Subrector de *fatis & incrementis matheos in scholis Pythagoraeorum* disserat: Cantor denique de *Musica sacra* quaedam exponat. Huic itaque solemnitati ut adesse velint litterarum atque scholae nostrae Fautores & Amici summa demissione & humanitate rogo.

Brandenburgi, Litteris GERNEMANNIANIS.

GERMANIA